



naic.



Kern

232 (1-28)

14
DE
NOXIS EX POTV
DISSERIT

ET
VIRO
CLARISSIMO DOCTISSIMO
AVG. FRIDER. GVIL. ERNESTO
IAHN

MEDICINAE BACCALAVREO DIGNISSIMO
SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES

NOMINE
SOCIETATIS DISPVTATORIAE
SVB PRAESIDIO
VIRI EXPERIENTISSIMI
IOHANNIS GOTTFRIED LEONHARDI

PHIL. ET MED. DOCT.
FLORENTIS

GRATVLATVR
PAVLVS CHRISTIANVS LINCKE
MERSEBVRGENSIS
MEDICINAE CVLTOR.

LIPSI AE AD XX. MAII MDCCLXXIV.

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



DE
NOXIS LXXI POT
DISERT

ET
VINO
CLASSICO DOCTISSIMO
AVG. FRIDER. CIVIL. ERNSTO
I A H N
MEDICINAE FACULTATIS DOCTOR
SUMMUS IN ARTE MEDICA HONORIS

NOBILIS
SOCIETATIS OBSTETRICAE
SACRAE
VIRI EXPERIENTISSIMI
IOHANNIS GOTTLIEB FRIDRICH

LEIPZIG
PUBLI
LAVIUS CHRISTIANUS LINGKE
MEDICINAE DOCTOR

LEIPZIG AD XX MAI MDCCCLXII

DE OFFICINA PHARMACEUTICA





Rem arduam aggredior iuuenis dicturus de morbis ex potu. Addit tamen animum honesta voluntas imbecillitatis excusationem sine dubio inuentura. Omnia fluida, quae per suas particulas sitis extinguendae vim habent, potulenta dici possunt. Haec vero, si medicatos potus, tum natiuos tum arte paratos, de quibus dicere non animus est, exceperimus, in quatuor species, aquosa scilicet, spirituosae, viscidula et ex his composita, diuidi posse, credo, quorum omnium princeps elementum sola tamen aqua est. Et de his quidem potubus dicam omnibus, et, quatenus morbifici esse queant, exponam.

In aqua pura, limpida, insipida, inodora, leui, qualis fontium est et regionum montosarum, vix quaesueris vllam nocendi potentiam; comoda potius maxima a vi eius diluendi, humectandi et acria dissoluendi expectaueris. Sunt tamen, quorum ventriculi aquae potu grauantur, quorum sitis parum restinguitur, humores non satis diluuntur, acrimonia non satis vincitur, venter obstipatur, vrinarii tubuli nimis distenduntur debilitanturque, maxime si copiosius hauritur. Nimia quoque quantitate assumta non solum mechanice laedit, vltra modum expandendo ventriculum et intestina, quod sine motus peristaltici impedimento fieri nequit, sed etiam physice obest, siquidem bilis efficaciam diluendo infringit, chylum aut male paratum aut nimis dilutum sanguini infert, humoresque, quibus in sanissimo corpore glutinosi quicquam inesse solet debetque, iusto fluidiores reddit, nutritionem et aliorum succorum vtilium praeparationem turbat, partiumque solidarum robur infirmit. Immo et turbando digestionis negotium viscido morbofo accumulando fauet, quod cum non diuidere satis et penetrare possit, morbos saepius strenuis aquae potatoribus eosdem infert, quos patiuntur, qui bibere recusant. Quodsi purissimae aquae iusto auidius haustae tot noxae sunt, plures vtique prodiruras credas vsu aquae impurae, quam flumi-

flumina limofam terram vehentia, lenteue mota corporibus putredino-
 fae corruptioni obnoxia foeta, cisternae, putei paludesque continent.
 Computrescentia enim ista corpuscula, quae innatant, neuis inimica, omni-
 umque actionum, quibus sanitas continetur, exercitium labefacere sensim
 et infringere possunt; et terreae partes, quae insunt, inspissando humores
 obstructionibus, glandularum inprimis, ut scrophulae docent, nascendi
 praebent opportunitatem. Corrigitur utcumque hanc aquae impuritatem
 quies et refrigerium, aut calor et motus ebullitorius; sed habent etiam
 ista rursus suas noxas. Frigida nimirum aqua solidas corporis humani par-
 tes stringit, nervosque saepius adeo afficit, ut in tremores agatur corpus
 et rigescat. Hinc roborare dicitur; et vere id praestat, non tamen promiscue
 in omnibus, ut ergo merito rideantur, qui infantum corpora aqua frigida
 corroboraturi tabem et mortem accelerant. Humores non adeo diluit,
 quam tepida; sique glaciali insuper frigore rigens potatur, tantum abest,
 ut humores fluidiores reddat, ut potius stasibus iisque adeo inflammatoriis,
 ob vasa in spasmodum acta, occasionem praebet. Id, quod multo adhuc
 citius etiam a non adeo gelidae aquae haustu euenire solet in iis, qui a praece-
 dente corporis exercitio vel animi commotione aestuant. Etenim hinc fre-
 quentissime oriuntur anginae, pleuritides, peripneumoniae, colicae, ob-
 structiones et inflammationes viscerum imi ventris cum multa flatulentia, vo-
 mitus, dysuria et anxietates; morbi porro rheumatici, arthritici aliique im-
 numeri. Calida aqua, vere artificiale potus genus, ad quod natura nul-
 lum animal inuitat, solidas corporis partes magis iam emollit, et penetrando
 relaxat; humores vero mouet et attenuat; vnde et excretiones, inprimis
 cutaneam promouet. Verum ubi eius usus nimius est, flaccescunt primi-
 ae viae, infringitur vis elastica et muscularis, humores digerentes fiunt iner-
 tes, laesaque ciborum concoctione morbi oriuntur innumerabiles. Laeditur
 porro sanguinis integritas, solidorum robor nervorumque vigor. Succo
 male propulsi stagnant, vasa infarciuntur, atrophia insurgit, morbi que in-
 primis glandularum, hypochondriacus, hystericus, prognerantur, rheuma-
 ticusque et nervosis lentis porta aperitur amplissima. Et quamuis ab ad-
 mixtis Theae particulis balsamicis et adstringentibus, et a Coffeae aut aliorum
 vegetabilium exustis moleculis exsiccantibus, roborantibus, carminatiuis,
 aliquomodo videatur nimium relaxans calidae vis mitigari et palato quoque
 gratius potus genus pareretur, infusa tamen et decocta eiusmodi calide et assatim
 hausta easdem noxas proferunt. Immo Theae insuper acrimonia depascens
 et Coffeae indoles calefaciens nervos et humores, adeo male habent, ut
 corporis tandem valetudo pessundet. Nocent autem potissimum non
 apto sumta tempore, si nimirum statim super ingeruntur cibis ingestis aut tem-
 pore

pore potantur vespertino, vbi blandam chyli et humorum elaborationem nutritionemque impediunt.

Iam ab aquosis potulentis ad spirituosa accedimus. Aquam sistunt, particulis acido-oleosis, in spiritum tenuatis et aliis eiusdem indolis crassioribus terreis et mucilaginis vitis, fermentatione ditatam. Referimus eo vina qualiacunque ex vuis et fructibus horæis parata, dein ex melle confectum hydromel, et ex dulci cerealium succo coctas cereuisias, quibus appendicis loco spiritum vini adiungemus. Ac primum quidem vina cuncta partes corporis nostri omnes grato calore et mobilitate beant. Spirituosum enim eorundem principium, reliquis partibus admixtis mitificatum humores pariter atque firmas partes agit et mouet, nervosque reficit, et confirmat. Qui vero quoties et affatim vina ingerunt, sanguinis orgasmum, solidorum debilitantem expansionem, neruorumque stupiditatem reportant, et ex acidis crudioribus particulis acrimoniam quarumcunque viarum colligunt, difficulter in minimis potissimum superandam. Hinc febribus potissimum inflammatoriis, ardentibus, exanthematicis, biliosis, acutisque malignis, haemorrhagiis, palpitationi cordis, apoplexiae, artuum tremoribus, guttae rosaceae, rheumatismis, arthritidi, podagrae, phthisi et hydropi frequentissime obnoxii sunt. Potissimum vero haec incommoda produciunt vina, non mangonifata forte illa, ab his enim in bene constituta republica nocentissimas fraudes istas seuerissimis legibus cauente nil plane extimescendum est, sed ea, quorum spirituosum principium fermentatione non satis recludi et elaborari potuit; adeoque partibus adhuc crudioribus terreo-tartareis remixtum obseruatur; quibus vinis hydromel et pomaceum vinum, Cidre dictum, plane sunt similia.

His ad cereuisias ducimur, in quarum consideratione eo breuioribus nobis esse licet, quum nuper Cl. STRVVIVS in libello simili occasione confecto et de additamentis Cereuisiae vegetabilibus inscripto, hac de re succincte sed sufficienter exposuerit. Ob mucilagineas partes cereuisiae adhuc inhaerentes non solum quidem diutius in corpore remanent, et melius fluidis nostris miscentur, verum etiam nutriendi quadam facultate pollent, et vini virtutes, gradu quamuis minori, possident. Aptissimum igitur videri posset potus genus, nisi perquam varia esset ipsius bonitas. Cum artis potius, quam naturae, opus sit, in praeparatione eiusdem varia possunt occurrere vitia non semper euitabilia; sique nil tale acciderit, optime tamen cocta facile rursus corrumpi solet. Mucilagineum deinde principium illius, aëre multo elastico et acido sale pregnans tormina, flatus, ventris debilitatem, diarrhoeas, viscera obstructa, tussis, arthritin, calculum et alia mala gignit

gnit. Quae vero adduntur, vtut vicia quaedam corrigunt, alia tamen rursus pariunt. Vultque cereuisia quoyt crassius et subigendum fluidum, si cum eius vsu sanus esse velis, vitam exercitatum, qua qui carent rectissime sese ab eius potu abstinere, nisi quidem asthma et hypochondriacum malum aut alia iam dicta incommoda incurrere velint.

His omnibus potulentis spiritus inest, destillatione a reliquis separabilis; prolicitur tamen maxime vel ex fructibus horaeis vel ex seminibus cerealibus. Et hunc quidem, vini adusti nomine notum, variisque additamentis vel mitificatum vel exaltatum, plane ex potulentorum classe eximerem. Nostros enim humores non diluit, sed, quum gelatinosi sint, cogit, sitimque non extinguit, sed vrendo et siccando auget, solida contrahit, rigefacit, callosa, stupida, et immobilia reddit. Nocentissimo huic potus generi debentur scirrhusae viscerum quorumuis indurationes, cacochymia, cachexia, tabes, hydrops, sensuum vigor fractus, vertigo, tremor artuum, apoplexia, melancholia, epilepsia et ea omnia mala, citiora tamen et maiora longe, quae e vini abusu oboriri diximus. Nolo quidem in vniuersum reiicere moderatum huius liquidi vsu, quippe quum qui duro victu et vitae genere vtuntur, eo vix carere posse obseruentur: veruntamen eos eum maxime seuocandos esse existimo: ab eius potatione, qui animo potius quam corpore laborare, vitaque minus exercitata vti consueuerunt.

Ab acerrimo potus genere ad mitissimum transire liceat, quod tertiae potulentorum classis, viscidula seu glutinosa continentis, primum esto. Lac innuo, primaeuum illum porum, cui, si vlli alii, maxima cum humoribus animalibus intercedit conuenientia. Insunt enim blando huic et pinguiusculo liquori eadem omnino principia, quae sanguinis mixtionem efficiunt, chylique in modum facillime in eius naturam transuerti potest. Parum omnino sollicitat digestionis organa, neque neruum peregrino stimulo vellicat. At enim vero ob facilem acescentiam, quae in primis aestate vix euitari potest, et ob vicius varietatem, quae cum lactis vsu consistere nequit, minus frequenter in potu vsurpatur. Eo tamen nihilominus vsurus, nisi diaetam omnem rectissime ordinet, facillime inde ventriculum grauatum appetitum laesum, digestionem turbatam, pituitae copiam, ventris tormina, aluumque obstructam experiri poterit. Quodsi digeratur quoque optime lac, efficiet tamen ob particulas copiosas nutrientes sanguinem spissorem et glutinosiorem, et solida laxiora, quae pinguedini accumulandae cedunt, ac stases et obstructions lentas fieri permittunt. Cum lacte animalium ex asse conueniunt potulenta ex seminibus oleosis per triturationem parata;

parata; quorsum maxime *Orsada* et *Rosada*, emulsio scilicet amygdalarum cum aqua hordeacea vel rosacea facta atque Limoniorum vel citri succo et saccharo condita pertinet; quo quidem valde temperante et leniente potum nimum facile refrigerium sēt damna iis, quae supra diximus, similia, corpori inferri possunt. Pari quoque ratione nocere possunt, *possetum* Anglorum, quod ex lactis cremore, vino secco, nucibus moschatis, saccharo et ouorum vitellis conficitur; porro cereuisia cum ouis cocta et notus nostratibus *Chocolatae* potus. Quamuis enim aromata plerumque addita olei et mucilaginis lentorem corrigere suo modo videantur, nihilo tamen fecius nisi valido satis corpore instructus quis sit, neque subigere lenta ista neque aromatico stimulo resistere satis poterit, si quidem frequentius istiusmodi potui indulserit.

Reperiuntur insuper multa alia potulenta, ex iis, quae hucusque diximus, et aliis substantiis admixtis composita, ex quibus iam solius *Limonadae* tum aquosae, tum spirituosae, mentionem facere liceat. Aquosa Limonada ex aqua, saccharo succoque limoniorum vel citri, cui et vinum admiscetur, parari solet. Haec quidem sanguinis aestum egregie temperat, corpus reficit, et humorum putredini obstat: interim tamen quibusdam ob acidum stranguriam excitare solet, et aestate certe inque calidis regionibus aptiorem potum, quam hieme inque frigidis terris, praebet. Cum hac aquosa Limonada conuenit *Cerbetta* (sorbēt), cuius nimirum eadem fere mixtio est, in eo tantum diuersa, quod vinum non admisceatur, sed ambræ et moschi parum, quodque loco sacchari aliquando, licet perperam, dulcem pastularum succum excoctum contineat; vnde quam flatulentum potum praebet, facile conicere licet. Spirituosae Anglorum Limonadae, *Punch* alias dictae, et ex aqua calida calidoue Theae infuso, succo Limoniorum, saccharo et Arack siue spiritu sacchari aut oryzae stillatio confectae sua laus non est deneganda. Eius enim sudoriferas, antiputridas et antiscorbuticas vires nautae satis experiuntur. Ea tamen largius et frequentius crapulaeque in coena contraeae discutiendae causā vti perniciosissimum iudices, inprimis quando in nocturnum rursus aërem prodeundum est. Ab ipsis certe Anglis haud negatur, abusum eius neruos laedere pectorique esse infestum; immo febrium, inflammationum morborumque pulmonalium et lente corpus depascentium causā existimatur. Iam valde exaestuans et exsiccans potus *Bischoff*, vinum scilicet oleosis aethereis partibus aurantiorum tostione exaltatis, saccharo et aliis aromatibus impraegnatum commemorandus adhuc foret: veruntamen cum et temporis angustia et dissertatiunculae limitis me moneant, vt finem imponam dictis, hoc cum aliis potulentis, quorum

rum vsus magis medicamentosus quam diaeteticus est; quorsum etiam aquas medicatas, quae cum minus opportune adhibentur, insignes noxas apportare solent, refero, silentio praeterire cogor. Tantum dixi, quantum licuit per aetatem. Iam vero, quae amicitia dicitur, dicenda sunt.

TIBI scilicet, VIR CLARISSIME AMICISSIME IAHN, nomine Commilitonum aestumatissimorum meoque ob humanitatem et suauitatem singularem, quacum inter nos es versatus, summae sunt agenda gratiae. Nos omnes coniunctis votis TIBI optimam et constantissimam salutem atque fata semper fauentia optamus; nos omnes de TVIS honoribus, quos vt diligentiae non exiguae pretium capessis, gaudemus. Et quamuis TVVS discessus afficiat nos cunctos tristitia haud vulgari, vtpote qui nobis eripit, quem candidissime diligimus, amantissimum sodalem, felicitate tamen TVA laeti in dulci ista spe futurae inter disunctos quoque amicitiae acquiescimus. Sis itaque perpetuo felix! Sis Numinis tutamine faustus! nosque, PRAESIDEM nimirum NOSTRVM GRAVISSIMVM, sodales cunctos et me amare pergas. Vale.



1018

PICA



DE
NOXISEXPOTV
DISSERIT

ET
VIRO

CLARISSIMO DOCTISSIMO
AVG. FRIDER. GVIL. ERNESTO

I A

MEDICINAE BACC

SVM MOS IN ART

N O

SOCIETATIS

SVB P

VIRI EXPE

IOHANNIS GOTT

PHIL. ET

FLO

GRA

PAVLVS CHRIS

MERSE

MEDICIN

LIPSIAE AD XX.

EX OFFICINA

